

www.e-rara.ch

**Poetarum omnium seculorum longe principis Homeri omnia quae
quidem extant opera, Graece**

Homerus

Basileae, Anno 1551

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92935>

In Aelium Spartianum, Dilucidationes Marcelli Donati.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

IN AELIVM SPARTIANVM, DILVCIDATIONES

MARCELLI DONATI.

Aelius Spartianus in Adriano.

*Statim cursum fiscalem instituit, ne Magistratus hoc onere
grauarentur.*



UOANNE Baptista Egnatius in suis Annotat. non instituit, sed inhibuit legendum putat, sensu tali. Prohibuisse Adrianum ad conciliandam sibi famam boni Principis, ne fiscus acerbius pecunias exigeret. Quæ expositio (pace viri doctissimi sit dictum,) nimis extorta conuincitur. Quia pauld post inquit Spartianus. Adrianum ad colligendam gratiam nihil prætermittentem, infinitam pecuniam, quæ fisco debebatur, priuatis debitoribus in Vrbe, atque Italia, in Prouincijs veid etiam ex reliquis ingentes summas remisisse, syngraphis in foro D. Traiani incensis. Adrianus Turnebus Aduers. lib. 29. cap. 12. aliter exponit, & inquit Adrianum instituisse cursum fiscalem, idest, vt fiscales cursus fisci sumptibus tolerarentur, quum antea illud esset magistratum onus. Quæ explanatio certè manca, & mutila est. Quis enim esset cursus fiscalis prætermittit, in quò magis erat elaborandum. Cœlius Rhodig. libro 21. capite 24. inquit. Cursus publicus, aut fiscalis dicebatur, quum ab Imperatoribus certis locis equi præceleres destinabantur, quibus non utebantur alij, nisi facultate impetrata, quam vocant tractatorium. Vir hic peritissimus antiquæ lectionis propinquius rem retigit; at certè nec exactè, nec sat bene rem ipsam aperit, namque cursum fiscalem publicum fuisse nulli dubium est, quod equis præceleribus constaret, quos ipse ibidem veredos appellat, non vndequeque verum; siquidem satis constat ex Procopio libro 2. Belli Persici. Equos publicos in eum vsum fuisse institutos, vt Veredarij celeribus equis inuecti Regum litteras prouerent. Hodie *correre la posta* vulgo dicimus, quod dispositis equis cursitare antiquiores dixerent. Am. Marcel. libro 20. vbi de Florentij præfecti fuga. Chatitates eius cum re familiari intacta, publico cursus vfu permissio ad Orientem redire tutius imperauit. Et libro 21. vbi de Tauro Præfecto Prætorio Vectusq; mutatione celeri cursus publici.

Cuius

Cuius instituti Xenophon lib. 8. Cyripedię Cyro tribuit landem. Herodotus Xerxi in Vrania. Verum sicuti veritati consentaneum fatemur, cursus fiscalis seu publici speciem fuisse cursum qui sit dispositis equis frequenter mutatis, ita non omnem cursum fiscalem huiusmodi fuisse ex mox dicendis luce meridiana clarius palam fiet; Si quidem cursus nomine hoc loco intelligendum iter quodcunque, Fiscalis verò, seu publicus, idest fisci, vel publici impensa factus, qui non solum equis, sed & vehiculis, & nauibus perficiebatur. Hinc versuales equi. Cassiod. lib. 4. Var. epist. ad Godiscalcum, l. 9. C. Theod. de leg. & dec. leg. quibus scilicet in causa principis utebantur. Horum item meminit Am. Marc. lib. 28. Transeo inquit, quod quidam per ampla Urbis spatia, subuersosq; filices sine periculi metu properater equos velut publicos signatis (quod dicitur) calcceis agitant. Et per initia lib. 15. de Apodomio ad Constantium Galli necem perferente. Equorum inquit permutatione veloci. Fuit quoque cursus publicus vehicularis, de quo l. 1. & vltima, D. de mun. & hon. cur. publ. Suet. in Aug. c. 49. Iuuenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuit. Spartianus in Sequero. Post hæc, quum se vellet commendare hominibus, vehicularium munus a priuatis ad fiscum traduxit, hoc est quod priuatorum impensa fiebat, publica fieri sancit. Et Am. Marcel. lib. 14. de Gallo Cesare vocato a Constantio. Decem vehiculis publicis, vt præceptum est, vsus. Et paulò post. Itineribus per mutationem iumentorum emensis venit Pefobionem. Et iterum de Constantio Imperatore. Delegit potissimum, vt vehiculis publicis impositum paulatim permetteret militem imminenti casus atrocitati velocius occursum. Linius lib. 43. Vehicula Mictoni publice locata, quæ eum Brundisium commodè perueherent. Et l. 4. C. de officio Præsidis *ἡ ναυαρχία ὁδὸν* Græci appellant. Fuit quoque cursus publicus, qui nauibus perficiebatur, ex Am. Marcel. lib. 20. scribente, Iulianum milites cum familijs ad Orientem proficisci præcepisse, Clauularis cursus facultate permessa. Ibi enim per Clauularem cursum iter nauibus faciendum intelligendum constanter affirmo, si quidem longum iter ex Gallijs in Orientem nauibus perficiendum erat, quod quum ægre ferrent milites, illis publica impensa naues, ad eos cum familijs transfretandos, Iulianus indulxit, namque ibi loquitur de Herulis, Batauis, Petulantibus, Celsis, & alijs, qui ex Gallijs auxiliares a Constantio in Orientem transfuehentos cum familijs suis, qui quum innumeri propemodum essent, non alio pacto publico cursu eo traduci poterant. Dicitur autem cursus Clauularis à clauo, quo naues reguntur, & diriguntur per maria, & flumina. Scio profecto Turnebum lib. 26. Aduers. c. 34. Clauularem cursum interpretari hoc loco cursum publicum militibus caligatis concessum, quorum caligæ clauulis confixæ erant. Verum, quam parum hic sensus verbis textus aptetur, non est qui non videat. Sed ne milites qui in Orientem proficisci cum familijs renuebant itineris maximam expensam causarent, voluit Iulianus eos publica impensa nauibus conuehi. Cursum autem dici nō solum de itinere terrestri, sed & de nauigijs facto constat ex Plin. scribente lib. 12. c. 19. Hi recto cursu per sinus instituent, vnde & nauis cursoria Sidonio, Typhim cursoriam ascendit. His ita se habentibus, iure affirmare possum, hic apud Spartianum percursum fiscalem intelligendum, publica

publica expensa, seu fisci pecunia factum iter; Si quidem Adrianus ad captandā omnium gratiam nihil prætermittens, Senatores vniuersos allicere studuit, iurans se nunquam Senatorem, nisi ex sententia Senatus puniturum. Illud insuper addēs, quo magistratus omnes, qui per Prouincias mittebantur, in sui amorem alliceret, vt illi publica pecunia itineris impensam explerent. Hi enim in Prouinciam profecturi Augusti decreto, cuius Suet. in illo c. 36. meminit certa pecunia recepta ad malos, & tabernacula, quæ antea publicè locari solebant digrediebantur. At Adrianus totam expensam ad fiscum pertinere voluit. Eadem de causa paulò infra refert idem Spartianus, eundem, his quos ad militiam vocasset equos, mulos, vestes, sumptus, & omnem ornatum semper exhibuisse. Capitolinus in Pertinace. Dein Præfectus cohortis in Syria profectus T. Aurelio Imperatore a Præside Syriæ, quod sine diplomatibus cursum vsurpauerat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est. Vina fiscalia, hoc est fisci, apud Vopiscum in Aureliano obseruamus.

Aelius Spartianus in Adriano.

Seruiano sororis viro, cui tantum detulit, vt ei venienti de cubiculo semper occurreret, tertium Consulatum, nec secum tamen quum ille bis ante Adrianum fuisset, ne esset secundæ sententiæ, non petenti, ac sine precatatione, concessit.

TVRNEBV M, cuius ingenium summopere admirari soleo, hūc locum enarrantem hæsisse existimo, iccirco, ne veritas detrimētum patiatur, aliter explicanda Spartiani dicta cēleo. Ait doctissimus vir lib. Aduers. 29. c. 12. Secundæ sententiæ est, qui post aliū sententiā secundo loco dicit. Primæ enim sententiæ est, verbi gratia Consularis, qui tertium Consulatum gessit, si qui toties Consul fuerit, in Senatu, reperiatur, alij secundæ. Itaq; si plures totidē gesserint Consulatus, qui ante eū honorē adeptus est primæ sententiæ erat Imperatorū etate. Proinde Adrianus tertium Consulatum Seruiano detulit, non secū tamē, ne quū ille bis ante Adrianū Cōsul fuisset Adrianus secundæ esset sententiæ; Nos tamen aliter sentiendū existimamus, Adrianū inquā Seruiano tertium Consulatum secum non detulisse, ne Seruianus, quē maximè colebat, & qui ante ipsum quoque bis Consul fuerat, esset secundæ sententiæ hoc est secundo loco sententiam ferret. Nam primus locus ferendæ sententiæ Adriani fuisset, qui iam tertium Consulatum adeptus antea, & Imperator, dubio procul primæ sententiæ fuisset, & sic Seruianus secundæ; qd placere nō poterat Adriano volēti summo honore afficere sororis suæ virū, ob id, quum eundem tertio Consulem faceret, voluit & ei collegam assignare, qui, vel non ter Consul fuisset, vel si ter, posterior ordine esset Seruiano, cuius primæ sententiæ ferendæ, vel dicendæ esse volebat. Et hoc est quod paulò supra scribit idē Spartianus. Tertio Consules, quū ipse ter fuisset plurimos fecit, infinitos autē secundi Consulatus honore cumulauit. Illud autem obiter sciendum, ante Imperatorū tēpus, vel saltem adhuc sub Imperatoribus

peratoriſus vigente Repub. Romana, ius primæ ſententiæ fuiſſe illius Conſulis, qui & maior, ſeu prior dicebatur, de quo Plinius libro 7. vbi de Balbo Cornelio. Et Cic. de ſemetipſo in Orat. in Piſ. & Liuius libro 29. vbi de Scipione; Erat autem Conſul maior, penes quem erant faſces, aut qui priori loco à centurijs Conſul renunciatus erat. Honor autem hic ſeniori tradi ſolebat, ex Plutarcho & Val. Max. quod ſi parēs ætate fuiſſent, ille maior Conſul erat, cui plures liberi fuiſſent; quod ſi par fuiſſet vtrique filiorum numerus, præferebatur qui maritus; Aliter tamen obſervatum procedentibus temporibus conſtat ex præſenti loco, in quo ille ex binis Conſulibus præferebatur, qui dignior erat, & plures Conſulatus geſſerat, primæque etiam ſententiæ vocabatur. De re iſta plura, vbi de iure quintæ relationis verba facimus.

Aelius Spartianus in Adriano.

Post hæc profectus in Gallias, omnes cauſarijs liberalitatib. ſubleuauit.

CAUSARIO ſ legendum ex propria, & aliorum ſententia tradit Turnebus lib. 29. Aduerſ. c. 12. Ita & Io. Baptiſta Egnatius in Annot. ſuis in Aeliū Spart. vt ſenſus ſit, Adrianum in Gallis omnes milites cauſarios ſubleuaſſe. Erant enim cauſarij milites qui ſenectæ, vel valetudine aduerſa, aliove vicio corporis, aut mentis militia ſoluebantur, Quorum meminit Liuius libro 7. Tertius (inquit) exercitus ex cauſarijs, ſenioribusque. Eorum etiam meminit lib. 16. & Tacitus in Orat. Drui ad legiones Illyricas tumultuantes. Quæ expoſitio, ſicuti minimè diſplicet, nihilo minus quæ milites huiusmodi à militia remoti ob benemerita præterita in colonias mitterentur, vt agros acciperent, vel domi ſue manerent, etiam ſtipendia accipientes ob ſtrenuè nauaram operam Reipub. dum militia habiles fuerant, non ob id exiſtimandum indigētes omnes ita in Gallis fuiſſe, vt liberalitate Imperatoris ſubleuandi eſſent, ideo & iure optimo magis arridet, vt nihil de textu mutetur, ſed dicamus ſcriptorem noſtrum explicaiſſe omnes in Gallijs cauſarijs liberalitatibus Adrianum proſecutum, oppreſſos ſcilicet, vel bellorum incommodis, vel tributorum, aut veſtigalium immodicis oneribus. Dixit autem cauſarijs liberalitatibus, hoc eſt liberalitates, quæ ex cauſa fierent, & prouenirēt, Imperatoriſque animum iuſta cauſa mouente. Ita cauſaria miſſio, de qua alibi fuſè diximus, & Cauſariè aduerbio in eodem ſignificatu uſus eſt Martianus in l. milites agrum, §. ſ. etiam, D. de re. milit. Quam interpretationem nec ipſe Turnebus reiſcit. Et cauſare pro cauſam afferre Cic. pro Q. Rabirio. Numquid cauſare, quin ab iudicio ab eas turpiſſimè victus. Et Suet. in Nerone cap. 49. Cauſatus nondum ad eſſe fatalem horam. Item, Syllanum ad necem compulit, cauſatus, quod ſe ingreſſum turbatus mare non eſſet ſecurus. Et Gellius. Negotium ſibi eſſe cauſatur. Et Virg.

Cauſando noſtros in longum ducis amores.

Cauſari etiam eſt cauſam dicere, vel defendere. Accius Medea.

Qui

Qui potis est repellere quisquam ubi nullus est causandi locus.
Afranius in Emancipato.

Facunde causaris patrem.

Paccuvius in armorum iudicio.

Qui sese ad finem esse ad causandum volunt,

De virtute is ego cernendi do potestatem omnibus.

Sic itaque interpretari possumus etiam causarij liberalitatibus, hoc est audita causa militum indigentium, & grauatorum, eos liberalitatibus Adrianum subleuasse.

Aelius Spartianus in Adriano.

Toparcas, & Reges ad amicitiam inuitauit, inuitato etiam Cosdroe Rege Parthorum, remissaque illi filia, quam Traianus coeperat, ac promissa Sella, quæ uidem capta fuerat.

TOPARCAS locorū Principes interpretandum non ambigendum, siquidem Græca nomenclatura demonstrat. Hanc eandem sellam Regiam, quam Traianus coepit, & Adrianus remittere promissit, Antoninus Pius teste Capitolino in illo, Parthorum Regi repetenti pernegauit. Vocatam autem Cyri solium ex Plutarcho in Alex. *μνησὶς ἄλλος ἀνθρώπων καθίστανει εἰς τὸν κύρου θρόνον πλὴν Αλεξάνδρου.* Appellauere enim Græci Regale Solium *θρόνον βασιλικόν.* Et Horat. libro tertio, Ode secunda.

Redditum Cyri solio Phraatem

Significans, restitutum illum in Imperium Parthorum, vel Persarum. Non itaque mirum si Cosdrus eorundem Rex adeo anxius erat de sede ista recuperanda, utpotè sine qua ex longo usu Reges in ea sedentes, minimè honorificè regnare posse putarentur.

Aelius Spartianus in Adriano.

Catacrianos libros obscurissimos, Antimachum imitando, scripsit.

EGNATIVS fatetur se nescire quid intelligendum per Catacrianos libros, nec alium scimus id explicasse. Nos vocem à Græcis deriuatam Spartianum mutuatum non dubitamus, nempe compositam ex *κατὰ* præpositione, & *κρείων* quod Princeps significat, & *νοῦς* mens Latinis, ita quod Catacrianos libros scripserit Adrianus Imper., qui se optimum Principem professus est, de mente principis, obscurissimè tamen id explicans, imitatus Antimachum Colophonium Poetam Græcem, qui, quum poema suum quondam in auditorio recitaret, atque omnes auditores, vno dempto Platone, quum non intelligerent, discessissent. Plato inquit mihi pro omnibus. Cuius rei meminere Cic. & Plutarchus in Lyfandro. Fuerunt quidem & alij Antimachi; nam Suidas duorum meminit, nempe Aegyptij Hieropolitani, & Melij Plesæ, & Homerus alterius

alterius Troiani libro 10. Iliad. Verum dubio procul hoc intelligendum de prior, Colophonio scilicet Poeta. Possumus etiam interpretari Catacrianos, hoc est contra usum; Catachresis enim significat abusus, seu contra usum, ex κατὰ quod est contra, & χεῖρῃς, idest usus.

Aelius Spartianus in Adriano.

Frigora & tempestates ita patienter tulit, ut nunquam caput tegeret.

EX hoc præcipuè loco eorum sententiam fulciri video, qui Romanos priscos nullo capitis tegumento ordinariè vfos affirmant, quã assertionem Turnebum tueri scio. Aduers. lib. 8. c. 4. & post eum fusius Iustum Lipsium libello de Amphitheatro profectum esse, qui tamen nec ita exactè rem hanc pertractauit, quin & nobis aliqua inperaddenda reliquerint, præsertim quum locum hunc non obseruarint. Si itaq; Adrianus nec etiã tēpestatū, & frigoris tēpore ynquã caput tegebat, ergo nec etiam sereno, & calido aere, quum intacto capite incederet iuxta Romanū morem. Qd pariter confirmari potest ex Suet. in Iulio Cæsare scribente c. 42. Illū ex omnibus honoribus sibi decretis non aliū libentius vlsurpasse, quã ius perpetuo gestandæ laureæ coronæ, idq; ad caluiciū calādū, cuius quidem coronæ nullus vsus, si alio tegmine caput cooperire mos Romanis fuisset. Quintilianus, & ipse... quū vestium omnium singillatim meminit vsque ad calceos, in capite solū capillū format. Et Eustathius Homeri interpret. lib. 1. Odyss. author est, ad Romanos a priscis Græcis transisse capita retecta habere; Adhæc nullā statuā antiquā Romanā inueniemus aliter effictam, quam capite detecto. Nec allibi Homerus de aliquo capitis tegumento meminit. His tamē nō obstantibus alijs pluribus authoritatibus & rōnibus hāc opinionē diruere conantur. Inquiunt enim Martiālē scripsisse lib. 11. Epigram. 7.

Ter mittis puteo piliata Roma.

Et iterum.

Dumque decent nostrum pilea sumpta Iouem.

Et Plaut. in Amph.

Ego habeo vsque in petaso pinnulas.

Cic. in epist. ad Cæliū. Sed petasati veniunt, comites ad portā expectare dicūt. Suet. in Augusto, c. 82. solis verò Hybernī quidē patiens, domi quoq; non nisi petasatus sub dio spatiabatur. Vegetius inquit. Vsq; ad præsentem ætatem consuetudo permāsit, ut omnes milites pileis, quos Pāonicos vocant, ex pellibus vterentur. Quod serui qui libertate donabantur pileati essent adeo manifestum est, ut nulla egeat probatione. Vnde illud ad pileum vocare, idest ad libertatē, & Bruti statuis, & numismatibus pileus additus, uti libertatis assertori. Præterea stultos pileatos venū iri solitos, quorū nomine venditori nihil præstarent scribit Gellius lib. 7. c. 4. ex snia Cælij Sabini I. C. Ouidius 1. de arte amandi.

Necturpe putaris

Pileolum nitidis imposuisse comis.

Et Plato 3. de Repub. Pileum capiti imponi debere docet. Varro lib. 1. de Vita P. R. inquit. Minores natu capite aperto erāt, capillo pexo, utiq; innexis crinibus, ergo maiores natu aliter se habebāt, nempe caput tegebant. Horat. epist. 1.

Ut cum pileolo soleas conuiua tribulis.

Apud Athenęum Laręsius laudans suos Romanos ait. Vestes etiam habemus, & calceatus frugi, ac simplices, & pileos capitibus circūponimus, ex ouium pel libus densos, ac villosos. Insuper habemus caput aperuisse in honore habendo Romanis familiare, ergo caput tegebant. Salustius scribit Sullā Dictatorē in victoria Equo descendere, Pompeio vni adsurgere de sella, & caput aperire solitū. Et Seneca. Si Consulē videro, aut Prætorē, omnia quibus honor solet haberi faciā, equo desiliā, caput aperiā. Addamus etiam primis Romanorū pilei vsū familiarē ex Lio per initia lib. 1. vbi ita scribit. Aquilā Lucōmoni, qui postea fuit L. Tarquinius carpēto sedenti, cū vxore pileū abstulisse, mox reposuisse. Cui rei simile illud, quod Lampridius in Antonino Diadumeno scribit. Hinc eidem Aquila pileum in agro ambulanti tulit. Harum sententiarū varietatem vt conciliemus illud præmittendum. Dubio procul statuendū Romanos priscos capita regere consueuisse, non semper & communi vsu, sed aliquando tantum, veluti in publicis spectaculis, ludis, & sacrificijs, in peregrinationibus, in bello ad cœli iniurias arcendas, puta ventos, imbres, & ætus. Idem mos quoq; ægris, vel qui integram valetudinē non haberent, vel etiam decoris gratia, & ad tegendum vitiū aliquod capillorum, qui etiam mos conuiuantibus a balneo præsertim. Hos autem non iisdem tegminibus indifferenter vsos clarē patet; nam vel pileo, vel galero, vel galerico, seu capillamento, vel pileolo, vel petaso, vel causia, vel velo, vel veste, seu vestis parte, puta lacinia. Pileolo vsi sunt cōuiuantes a Balneo, & egrotantes, qui nullo margine donabantur, sed quales nostrates dormitorij, seu nautici pileoli, vnde fortē Hippoc. statuē pileolus impoſitus. Petaso vsi sunt valetudinarij, & ita facientes, & milites. Erant autē hi crassiores ceteris, & iniurijs acris, & inclementiæ arcendis habiliores, quales & militares fuere Vegetio. Cuculionem viatorum obseruamus apud Capitolinū in Vero, vbi ait. Obtecto capite cuculione viatorio, &c. Quæ omnia ex iam dictis palam fiunt. Causia capitis tegmen fuit ex velis paratum, leue scilicet arcedo calori aptum, quo mulieres vsas conijcere possumus ex Plauto in Persa.

Tunicam, atque Zonam, & Chlamydem afferto, & Causiam.

Et Valerius Max. lib. 3. tradit Antigonum caput Pythi textile causia, vt velatum caput more Macedonum haberet, ex quo etiam Regium capitis tegmen fuisse conijcere possumus, præsertim Herodoto de Antigono idem scribente, & fortē tale, quod Turbante Turcarum. Velo caput operiebant sacrificantes ex Virg. 3. Aeneid.

Et positis aris iam vota in littore solues,

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Idem ex Plutarcho in Probl. c. 11. & Lio lib. 1. vbi legatus (inquit) ad fines eorum venit, vnde res repetuntur, capite velato (filum lanæ velamen est) Audi Iupiter (inquit) audite fines, audiat Fas. Et iterum. Augur ad læuam eius capite velato sedem cœpit Galericulo, seu capillamento ornamento capiti adaptabatur ad contegendam caluicem, seu raritatem capillorum ex Suetonio in Othone & Caligula, quod Corona fecisse Iulium Cæsarem diximus, de qua re alibi fusius. Pileo, seu Galero (parum enim, vel nihil differre arbitror)

in

in spectaculis publicis & ludis vſi ſunt Romani Statius.lib.1. Thebaidis.

Et temperat aſtra galero.

Et Iuen.Saty.6.

Flauo crinem abſcondente galero.

In cōmuniōri vſu fuiſſe Romanis conſtat caput veſte circumtegere, eamque amouere aperiendo caput in alicuius honorem, quod tradit Plutarchus in Problemi, inquiens, Romani ſi cui obuiam facti ſunt, cui honor habendus, ſi fortē caput veſte iniecta habeant, id reuelant. Idem author in Gracchis de Naſica. Laciniam togę reiſciens in caput. Et Seneca de Mecenate. Hunc eſſe, qui in Tribu nali, in roſtris, in omni publico cōtū ſic apparuerit, vt pallio velaretur caput, exclusis vtrinque auribus. Plutarchus quoq; Demetrii Pōpeiiani liberti ſuperbiam taxans ait, illū accubuiſſe habentē caput pallio obuolutum. Et Petronius deſcribens accubitū molliſſimum omnium. Melchionum pallio (inquit) cocchino adraſum inuoluerat caput. Liuius lib. 23. Statua eius iudicio fuit Præneſtę in foro ſtatuta loricate, amiſta toga, velato capite. Capitolinus in Pertinace vbi de Læto Præfecto Prætorij ab eo ad milites miſſo, ait. Sed ille declinatis militibus per porticus adoperto capite domum ſe contulit. Et paulō poſt de cæde Pertinacis. Ille precatus Iouem vltorem, toga caput operuit. Liuius in Epitome lib. 89. Mutilus ex proſcriptis vnus, clam capite adoperto ad poſticas ædes Baſtiæ vxoris quum acceſſiſſet, admiſſus non eſt, quia illū proſcriptū diceret. Itaq; ſe tranſfodit, & ſanguine ſuo fores vxoris reſperſit. Ex quibus concludendū Antiquis Romanis caput obtegere pileo minimē in cōmuni vſu fuiſſe, ſed inteſto capite proceſſiſſe, & ſi quādo tegere volebāt, pallio obuoluiſſe, ſeu eius lacinia, præterquam tamen in iam memoratis caſibus. Cooperiendi autem pileo caput morem cum Romano Imperio Byzantium tranſlatū teſtatus eſt Nicephorus Greg. inquiens. De capitis tegmine moris apud ſuperiores Principes, erat, vt ætate prouectiores aulici pileis turbinatis vterentur ſerico tectis iuniores autem omnes prorsus nudi eſſent capitibus. Andronico autem Imperatore is mos adeo exoleuit, vt paſſim omnes, & ſeniores, & iuniores pileis vterentur, non minus in palatio, quam in agris, iſque varijs, & peregrinis. Ex quibus facilis reſponſio ad authoritates in oppoſitum adductas.

Aelius Spartianus in Adriano.

*Lenoni, & Laniftæ ſeruum, vel ancillam vendi vetuit
cauſa non præſtitā.*

QUID ſit cauſam præſtare ex Iuriſconſultorū fonte hauriendū, apud quos inter cætera ſignificata cauſa accipitur pro conditione, & iure cuiuslibet rei, vt l. ſi conuenerit, 18. §. ſi fundus, D. de pign. l. alienatio, 67. D. de cōtrahen. empt. l. ſi debitor, 12. C. de diſtrac. pign. & in Cōſtitutione Seueri, & Antonini, l. vnica, C. de reſcriptis, & Paulus in l. via, §. fundus, D. de ſer. ruſt. & Vulp. l. Pomponius, 13. §. 1. D. de acquir. poſſ. Et præter Iuriſperitos Cic. etiam in eadem ſignificatione accepit cauſam in orat. pro lege Agraria inquiens: Soluta

Ccc

in me-

in meliore causa sunt, quam obligata. Ita quoque familiaris locutio est Iurisperitis præstare culpam, casum, dolum, periculum, bonam fidem, diligentiam, custodiam, factum, pro euentum horum cuiuslibet in se recipere, seu cautionem dare exitus eorumdem. In quem sensum quoque Cic. lib. 3. Offic. dixit. Quidquid esset in prædicio vitij, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstare oportere. Ex quibus elicimus sensum verborum Spartiani esse, ab Adriano inter cetera optima decreta, & illud sancitum, ne quis vendere posset Lenoni, vel Lanistæ seruum, vel ancillam, nisi præstita causa, hoc est nisi periculo in se recepto, vel probato, quod ille, seu seruus, seu ancilla seruilis generis esset, fortè enim vsu venerat, quod Lanistæ, vel Lenones infames homines lucri gratia èt emerent ingenuos, vel libertinos, vel aliquos, cuius generis nulla certa haberet notitia; cui malo occurrere voluit Adrianus, decernens vti iam dictum est.

Aelius Spartianus in Aureliano.

Decoctores bonorum suorum, si suæ authoritatis essent catamidiari in Amphitheatro, & dimitti iussit.

DECOCTORES bonorum suæ authoritatis appellat, qui sui iuris essent, frequens enim apud Iuristas authoritas pro iure dominij accipitur. Vnde ius sui, vel alieni, non sui inquam, idest suæ potestatis, facultatis, liberi arbitrij. Sic sui mancipij esse, idest sui, & non alieni dominij. Homo itaque suæ authoritatis, seu iuris sui est, qui alteri non paret, nec in aliena potestate est, sed suus est, & suam, non alienam, sequitur sententiam. Si quis itaque sui iuris existens sua bona decoxisset, hunc catamidiari voluit Adrianus, ex quo distinguit ab illis, quos supra non vitio suo decoxisse inquit. Vtitur autem verbo Græco Spartianus κατὰ μισθὸν enim est deridere, vel ludibrio habere. Ita & nostris temporibus ob varia delicta quidam in publicis locis mitellati in scalarum suggesto, vel ij qui non sunt soluendo silicem natibus percutientes, vel ferro aut palo alligati populi exhibitionibus, & alijs iniurijs exponuntur. Et catamiti dicuntur probrosi pueri, qui pudorem vendunt, & corpora prostituunt. Sic Ganymedes lovis concubinus Catamitus ab antiquis vocatus. Et Catamitum Cic. in 2. Philipp. Antoninum dixit. Infamia autem olim donatos qui sua prodigè, & luxuriosè decoquebāt, & consumeabant, patet etiam ex Solonis lege, referente Diogene Laertio lib. 1. Decretorum Philosophorū. Erat autem lex huiusmodi τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν διαπρανήσων ἀτιμῶσαι, hoc est. Qui patrimonij sui versutam fecerit, ignominiosus esto. Budęus in suis Annot. in Pandect. existimat catamidiare consimile esse, quod Latini, traducere, dixere. Cuius lib. 2. vbi loquitur de Volcicis publico consilio, & præconis voce à spectaculis exactis. Vos inquit omnib. ciuib. peregrinis, populis, spectaculo abeuntes fuisse. Vestras coniuges, vestros liberos traductos per ora hominum. Et Vespasianus referente Patreulo vbi de delatoribus. Hos assidue in foro flagellis, ac fustibus cefos, ac nouissimè traductos per Amphitheatri arenā passim subijci in seruos, ac venire imperauit,

peravit, partim in asperissima insularum aduehi. Quod sicuti nobis probatur, ita sanè minus recipiendum videtur, quod ex sacro Euangelio Matthæi c. primo tradit in eadem significatione accipiendum, scilicet. Ioseph autem vir ipse iustus, nolens eam traducere, voluit occultè dimittere. Illud enim traducere Græcè *ᾠγαδ'συναρίσαι* nil aliud significat, quam palam extra ducere, idest illi libellum repudij, uti Hebræis mos erat dare, & dimittere de domo sua, iuxta præceptum Deuteronomij capite vigesimoquarto.

Aelius Spartianus in Didio Iuliano.

Inter viginti viros electus est suffragio Matris Marci.

VIGINTI VIRATES meminit Tacitus lib. 3. per hæc verba. Per idē tēpus Neronē è liberis Germanici iā ingressum iuventam cōmendauit Patribus utque munere capeſcendo Vigintiuiatus solueretur. At quis esset hic magistratus Dion solus lib. 53. docet, inquiens. Vigintiuii erant. Triuiuii capitales, Triuiuii monetales, & quattuoruii curatores viarum vrbis, & decemuii qui hastam centumuiralem cōgebant. Ex quibus colligimus vigintiuiatum magistratū fuisse, ex quattuor alijs magistratibus collectum. Ex Neotericiſ Carolus Sigonius de antiquo iure Italiæ lib. 2. c. 2. scribit. Vigintiuios Cæsarem intulisse in primo Cōſulatu, quum legem Agrariam tulit, quod inter omnes ſubdit ſe videre conuenire. At quum nec Dion, nec Suetonius, qui vitam Iulij Cæsaris diligentissimè scripsere, quicquam de re hac literis mandarint, quāuis de lege Agraria ab eodem lata verba fecerint, qui sint qui in re hac omnes conueniant, nescio. Eandem expositionem recipit Turnebus libro Aduers. primo, c. 25. eadem Dionis authoritate Budæus in post. Anno, in Pand. Vigintiuiatus meminit, sed qui essent rectè. Illud sanè nos adnotamus, quod quum antea primus magistratus, qui peteretur, esset Quæstura, ut aliàs abunde docuimus, postea à Iulio Cæsare Vigintiuiis electis, magistratus scilicet constans ex iam dictis, hic primus erat ante Quæsturā petendus, & obtinendus. Quod clarè colligimus ex Tacito loco citato scribente, Tiberiū Neronem Patribus commendasse, ut eum à munere capeſcendi Vigintiuiatum soluerent, & quinquennio maturius, quam per legem, Quæsturam peteret.

Aelius Spartianus in Seuero.

Quæsturam diligenter egit, omnibus sortibus natus militari, post Quæsturam sorte Beticam accepit.

IOAN. Baptistā Egnatius lectionē corruptā fatetur, at quomodo restituenda sit, ſilet. Nos arbitramur ita legendū. Quæsturam diligenter egit, omnibus sortibus natus militarem, ibique sit pūctus. Quis sensus verò sit perquirèdum. Per initia lege curiata & egibus permilla est Quæstorū electio, quibus extinctis, id munus Cōſulate fuit; Postmodum populi ſuffragijs comitijs curia-

cis quæstores creati, quod ex Dionysio ad finem lib. 4. & Tacito lib. Annal. 2. manifestū sit. Sciendū præterea, sortem cōmuniori significatione accipi pro fortuito cuiuscunq; rei euentu. His sic se habentib. dictorū Spartiani sensus erit. Seuerū nactū Quæsturam militare omnib. sortibus, idest Quæstorem factum. sorte omnium suffragiorū, nam quum suffragiorum euentus fortuitus esset, & incertus, sortes appellari suffragia possunt. Addamus sorte et postea eidē Quæsturā militare obuuisse, nā creatis Quæstoribus, Quæsturas Urbanas, & prouinciales inter se sortiebantur ipsi, qđ ex Cic. probari potest, scribente in Verrem. Quæstor ex Senatūconsulto Prouinciā sortitus est. Et Q. Frarē. Quæstorē habes non tuo iudicio delectum, sed eum, quem fors dedit. Et pro Mur. Quæstura virtutisq; propemodum pari momento sortis fuit. Et pro Sestio. Quæstor hic C. Antonij collegæ mei fuit sorte. Non negauerim tamen Quæsturas auctoritate aliquādo S. C. vel lege aliqua, vel principis viri decreto sine sorte datas. Sic Cice, in Antoniū. Quæstor es factus, deinde continuo sine S. C. sine sorte sine lege ad Cæsare cucuristi. Et in Epist. ad Att. Pompeius Q. Cassiū Quæstorem sine sorte delegit, Cæsar Antonium. Ordinariē tamen sorte dabantur Quæsturae. Erit itaq; sensus verborum Spartiani, Seuerum ad quæsturam militare peruenisse omnib. sortibus, idest sorte suffragiorū Quæstorē factum, mox sorte illi militarem Quæsturam obuuisse. Dicebatur autē Quæstura militaris, quam Quæstor obibat, qui stipendia militibus persoluebat; Nam A. Iulius Pollio inter Epist. fam. Cic. lib. 10. Epist. 3. 1. queritur, quod Balbus Quæstor, magno pondere auri, & argenti coacto de publicis exactionibus, ex Hispania fugerit, ne stipendiis quidē militibus reddito. Et apud Liuium lib. 42. Quæstores, quorū stipendia, quæ à Regibus, aut Nationibus pendebantur, accipiunt. Vnde in castris Quæstorium legimus apud eundē, Quæstoris scilicet habitationē lib. 10. Huic nostræ interpretationi obijci potest, Imperatorū tēporibus, præsertim postremorum, populi, Senatūq; Romani potentia omni in illos translata, eos prohibito magistratus oēs dedisse, & sorte Quæstorias Prouincias minimē partitas. Cui objectioni facilis responsio, quū statim subiungat idē Spartianus, Seuerū post Quæsturā Beticā Prouinciā accepisse sorte. Verū libet & addere, secundum eandē lectionē posse interpretari oībus sortibus idest oībus votis & suffragijs, ut scilicet (qđ aiunt) nemine discrepāte, Quæstor fuerit creatus. Addamus sortes etiā oraculorū responsa dictas. Val. lib. 1. Cuius rei explorandæ gratia legati ad Delphicū oraculū missi, retulerunt, præcipi sortibus, ut aquā eius lacus emissā per agros diffunderent. In eodē significatu Capitolinus in Clodio Albino. Quare sorte illam, qua Seuerū laudatū in Pescennij vita diximus, ad se trahebat. Et rursus. Qđ quū ille sorte de fato suo tolleret, &c. Quibus sic se habentibus, possumus etiam asserere huc sensum, quod scilicet Seuerus adeptus fuerit Quæsturam omnibus sortibus, idest omnibus oraculis prædicentibus ei, ut interim omittamus sortis genus illud, quod vulgo *Lotto*, & *Ventura* dicitur, cuius sæpè meminit Lāpridius in Heliogabalo. Aliā quoq; subditiua interpretationē, litera non mutata, ut scilicet legamus natus, (nō nactus) nā militare pro militari legendum constantissimē credimus, & sensus erit Seuerum omnibus sortibus natum, idest cum a primum natura, & genitū, & habilem ad quæcūque mu-

nia publica, siquidem fors quâdoque Latinis accipitur pro munere vel officio. Liuius. Si ita videretur Patribus, mitterent ad collegam, ut is, qui profligatum bellum haberet ad comitia Romam rediret, si id facere graueretur, quod non suæ fortis id negotium esset, se quidem facturum, quod Senatus censuisset.

Aelius Spartianus in Seuero.

Post Quæsturam sorte Beticam accepit, atque inde Africam petijt, ut mortuo patre rem domesticam componeret; sed dum in Africa est, pro Betica Sardinia attributa est, quod Beticam Mauri populabantur.

QUIDAM interpretantur Beticam idest Hispanicam, eo quod Betis fluius Hispaniam præterfluens, eam diuidat. Vnde Asonius Epist. 15.

Qua Betis Oceanum Tirrhenumque vrget Iberus.

Verum, etsi nos fateamur Beticam aliquando accipi pro tota Hispania, nihilo minus hoc loco non dubitamus interpretandum pro speciali Hispaniæ Prouincia, ita à Beti, ex ea demisso flumine, dicta, ab incolis Turdetania appellata. auctore Strabone lib. 3. Ea nunc Granata dicitur, à Grano tinctorum, quæ Græcis κόκκος vocatur, vulgo Grana dicitur, de qua Plinius lib. 21. c. 8. cuius copia in hac Hispaniæ parte nascitur, teste Strabone lib. 10. & in ea lanas pulchro colore tingi ostendit Martialis inquis.

Betis oliui fera crinem redimite corona,

Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Eandem Prouinciæ optimi salis feracem elicimus ex Sereno in Heroum tumulis scribente.

Sal niueum sumes, Beticum quem nomine dicunt.

Huic autem nostræ expositioni fauent verba ipsiusmet Spartiani, quæ statim subdit, pro Betica scilicet Seuero Sardiniam attributam quod Mauri Beticam populabantur; Huius enim Prouinciæ etiam nostro æuo incolæ, ut plurimū Mauri sunt; quamuis Ferdinadi, & Elisabeth Hispaniarum Regum imperio, quorum auspicio debellati fuere Christianam fidem professi sint.

Aelius Spartianus in Seuero.

Ita ut mortuus ictu plumbeæ crederetur.

PLVMBEAM substantium nullibi obseruamus, quare si adiectiuum dixerimus, substantium aliquod subintelligendum erit, cui adnitatur, veluti pila. Sic Martialis dixit Plumbea selibra, ut sensus sit pile plumbeæ funda vel alia machina bellica iacta Seuerū percussum. Vel & fortè rectius, legendum loco plumbeæ, plumbatæ, si quidem duas plumbatarum species apud scriptores legimus, quarum altera supplicium est, altera verò telum bellicum.

Præter in sensu, plumbata sunt verbera cum plumbo facta, quibus certis criminibus fontes cedebantur. Plumbatarum verbera legimus apud Iurisperitos in l. 2. de exact. tributo. lib. 10. Cod. ita enim illic legendum docet lex tertia de exactor. in C. Theod. & l. 2. ff. de quest. & l. 80 de Decurio. in eod. Cod. Et in l. 7. de exact. eod. Cod. appellantur plumbi verbera, & in l. vni. C. de his qui potentiorum nomine, præcipiunt Imperatores eos qui in potentiores litæ transferunt plumbo affectos, relegari. In eodem sensu apud sacros scriptores legimus. Ambrosius lib. 5. Epist. scribit, aliquos Christianos gladio, aut fustibus, aut plumbis necatos. Idem in lib. de passione Geruasij & Protasij inquit. Tunc indignatus Comes Astartius, iussit eum tamdiu plumbatis contundi, quamdiu exhalaret spiritum. In libello quoque passionis Valeriani, Tiburtij, & Maximi martyrum ita scribitur. Igitur quum peruenisset ad Almachum, quod Maximus Cornicularius cū suis omnibus esset factus Christianos, iussit eum tamdiu plumbatis tundi, quamdiu spiritum redderet. Et in passione quattuor coronatorum martyrum habemus. Illis autem reluctatibus renunciatum est Diocletiano Augusto, qui ipsos iussit ante simulachrum ictu plumbatarum deficere. Et Prudentius *weigē sepharōv* habet.

Tundat tergum crebris ictibus.

Plumboque ceruix verberata extuberet.

Pulsatus ergo martyr illa grandine,

Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos.

Verum in hac significatione plumbatam minimè accipi posse in præsentī loco clarissimum est. Plumbata etiam fuit antiquis iaculi genus, cuius duo genera facit author libelli de rebus bellicis, qui notitiæ Imperij Ro. inscribitur. Vnū, cuius ligno ferrū ad formā venabuli infigebatur, fistula eiusdē ferri parumper extensa, super quā modico interiecto spatio, plumbo adherentes aculei, velut tribuli, emergebant, quæ plumbata tribulata appellabatur. Altera verò erat mamillata, quæ bene extensa, & directā virga accipiebat in extremitate sui rotundum, & in acutum deductū ferrum. Similibus locis quibus superior, in tribulata plumbo, & pennis adherentibus. De eisdem meminit Vegetius lib. 1. c. 17. & lib. 1. c. 15. inquit Plūbatarū quoque exercitatio, quas Martiobarbularas vocant, est tradenda iunioribus. De his etiam inter recentiores Alciatus Prætermissorum libro primo.

Aelius Spartianus in Pescennio Nigro.

Hunc in Commodianis hortis, in porticu curua pictam de Musiuo inter Commodi amicissimos videmus sacra ffidu ferentem.

SPARTIANVS ait, se vidisse Pescennium Nigrum in Commodianis hortis in porticu curua pictū de Musiuo, inter Cōnodi amicissimos sacra ffidis ferētē. Quæ verò pictura Musiua, seu de Musiuo fuerit antiquitas, perquirēdū, cū vox hæc in frequēs valdē sit, nec alibi fortē obseruata, præterquā apud D. August. de Ciuitate Dei, Vulgò *Musaico* dicitur, & est opus ex varicoloribus

bus lapillis simul compactis figurā quamvis representans. Cuius operis meminit Scholasticus Epigram. lib. 4. Versus Græcos non appono, binos tamen Latinos redditos in medium afferro ad rem præsentem facientes.

Admiror qua arte ex alijs, alijsque lapillis.

Tam cito compositum transierim in Satyrum.

De huiusmodi opere quoque Plinius libro trigesimo septimo. Interfuso inquit marmore, vermiculatisque ad effigiem rerum, & animalium crustis. Huiusmodi pulcherrima opera in Italia cōspiciuntur in Aede Senensi, Cathedrali, & in D. Marci Templo Venerijs. Cur autem opus istud ita appelletur colligere possumus ex Plinio lib. 36. capite vigesimo primo scribente. Non prætermittenda & pumicum natura, siquidem ita appellāt quidem ita & erosola saxa. In ædificijs vocant Musæa dependentia ad imaginem specus arte reddendam. Nostri temporibus Romæ, & Florentiæ pluribus locis videmus speluncas huius generis cum fontibus, in quorum parietibus, lapillis versicoloribus inuicē connexis, variæ animalium figuræ, veluti si depictæ essent, configurantur. Quæ omnia Musiū opus Latine dici posse nō ambigimus. Cuiusmodi loca Musis, & studijs dicata olim, & musæa vocata scimus. Ita Strabo lib. vlt. scribit, apud Alexandriam fuisse nobilissimum Musæum. Stephanus de Vrbibus, esse tradit apud Olympum in Macedonia, ex autoritate Polybij. Spartianus in Adriano Musium appellat, inquit, Apud Alexādiam in Musio multas quæstiones professoribus proposuit, & propositas ipse dissoluit. Et Plinius lib. 1. Epist. ad Fundanum inquit. O mare, & litus, verum, secretumque musæum, quā multa inuenitis? Ita Philostratus in vita Apollonij Thianei *μουσæον* vocat locum Musis sacratum, quod & Pollux affirmat. Varro lib. 3. de re Rust. c. 5. dixit, directum esse fluium ab insula ad Musæum, ita vocat locum Musis, & studijs dedicatum, proinde de Casinate fundo Varronis ita scribit Cic. in Antoninū. Studiorum enim suorum M. Varro voluit esse illud, non libidinum diuersorium. Hinc adnotare libet iure meritō doctissimum Alciatum in Annot. Cod. in tres posteriores libros, l. 1. C. de excus. artif. lib. 10. Musuarios legere, quod alij Muscarios, alij Musarios, Cuiacius Musinarios legunt, sed perperam hi omnes. Ita & apud Firmicum lib. 2. c. 4. vbi habet. Aut inauratores, aut Musinarios, haud dubiè reponendum Musuarios, artifices scilicet operum Musuorum, seu de Musio dictorū. Inter Musiū opera enumerandum Lithostratū, hoc est pauimentū lapillis varij coloris stratū. Asarotam etiā dixit Græca composita voce Xenodorus, qui primus claruit in faciendis pauimentis miro artificio, parvulis testulis in varios colores tinctis, & imagines representantibus. Pap. lib. Sylvarum.

Suberatque nouis asarota figuris.

De his plura apud Plinium lib. 36. c. 25. Dictum autem fuit Lithostratū dictio ne composita ex *λίθος*, idest Lapis, & *στρωτός*, idest stratus. Legimus in Euangelio Ioānis. Et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos. Et Varro lib. 3. de re rust. Quum villā haberes opere tectorio, atq; intestino, ac pauimentis nobilibus Lithostrotis spectandā. Sicuti autem Musium in parietibus appellamus hoc opus, ita & in pauimentis Lithostrotum, vel Asaroton, & vermiculatū opus etiam cōmuniori appellatione dictū in lapidibus, quod in lignis tessellatum

latum appellamus, quum scilicet ex ligneis segmentis varij coloris variegatæ figuræ cōformantur, vnde vulgo opus de Tarsia. Treb. Pollio ait in Tetrico Iuniorē 24. Tyr. de Tetricorum domo in Monte Caelio, in qua Aurelianus pictus est, utrique prætextam tribuens, Senatoriam dignitatem, accipiens ab his sceptrum, coronam ciuicam, picturatam de Musæo.

Aelius Spartianus in Pescennio Nigro.

Idem pistorēs sequi expeditionem prohibuit, bucellato iubens milites, & omnes esse contentos.

COELIVS Rhodig. lib. lect. antiquarū. 9. c. 16. bucellatum interpretatur frumentum excoctum ad usum diuturnitatis idq; autoritate Amm. Marcellini, cuius hæc sunt verba, lib. 17. Viginti dierū frumentum, ex eo quod erat in sedibus consumendum, ad usum diuturnitatis excoctum bucellatum, ut vulgo appellant, humeris imposuit libentium militū. Sed quæso, quis in annona militari excocti frumenti usus? & quæ ad diuturnitatem proficere potest excoctio nisi & eundem in panem redactum dixerimus. Ad hæc, cur Pescennius pistorēs sequi expeditionem prohibuisset, nisi id genus frumenti in panem bucellatum dictum redactum fuisset? Quare per bucellatum dubio procul intelligendum id genus panis, quod nos biscoctum appellamus, cuius rei in expeditionib. bellicis, præsertim nauticis, frequens apud omnes & nunc usus, vnde & panis nauticus dictus. Volcatius de Auidio Cassio tradit. Præter laridum, ac bucellatum, & acetum militem portare prohibuit. In eadem significatione accipitur à Iuristis in l. 1. C. de erog. milit. ann. lib. 12. scilicet pro genere panis biscocti. Ita & Alciatus in annot. in Cod. post. lib. interpretatus est. Vnde non ineptè Paulinus & Therasin Epist. August. 36. De bucellato Christianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi missimus. Dictus autem bucellatus panis, eo quod in bucellas, & quasi tessellata frustra formetur, ad hoc ut facilius iterum coqui, & exsiccari melius possit. Buccella enim buce quæ diminutiuum est, & bucea frustulum est alicuius rei comestibilis, quantum bucca cōmodè capere potest. Vnde bucellas dixit Tertullianus lib. de Monogamia panis portionem, quam ministri Ecclesiæ mulieribus dabāt domū perferendam, Græcis *Ἀνυγὸν*, & *ἡνδὲς ἄρτος*, & *πασχυὰ ἄρτον*, scilicet panis biscoctus, & siccatus. Apud Gregorium Turonensem legimus, ab Aetij bucellario Valentinianū interfectum fuisse, quamuis P. Diaconus à milite interfectum scribat, & Pomponius Lærus à Transyla, & Otila, Aetij militibus. Turnebus tradit Aduers. lib. 24. cap. 16. Mauritij nescio cuius scriptoris Græci autoritate innixus, Buccellarios equites fuisse armatos Zabīs, & manicis ferreis, contratos, & sagittarios, qui ante Imperatorem exercitus equitabant. Alciatus Dispunct. lib. 3. c. 20. in l. ff. C. ad l. Iul. de vi pub. quam Leo, & Anthemius Imperatores lege Iulia de vi publica eos teneri sanxere, q. vel Isauros, vel Buccellarios domi haberent, & inquit, ex authore, qui sub Theodosio iuniorē militā

Roma.

Romanam descripsit, equites in exercitu Romano fuisse, quibus magister militum per Orientem præerat, quorum alij iuniores, alij seniores dicti, ut existimare liceat milites hosce latrocinatos, & rapto viuere solitos, hosque ex Gallo grecis fuisse, quib. Isauri proximi, quum Suidas Gallogrecos *βουκελλαρίους*, & *βουκελλάρειον* Gallogreciā appeller. Hos certè latrones fuisse, sicuti & Isauri constat, quia lege provinciarum, l. 9 C. de episc. aud. Honorius & Theodosius tolli citius quā potuerit latrones statuere, potissimū Isauros; Nec obseruandum in illis torquendis, & inquirendis etiā sacrosanctū Paschatis diē, quia salus multorum ex eorum pœna pendeat; & Isauria subacta à Seruilio Isauro, ob id pyratum munitiones deletas testatus est Strabo libro 12. Cogitabam etiam Bucellarios milites dici potuisse illos, quibus bucellati publici in procinctu, & castris, militaribusque expeditionibus custodia erat demandata, qui si fortè rem minimè fideliter gessissent latronum loco haberentur, ac contra illos, sicuti & aduersus Isauricos prædones, lege Iulia de ui publica agi posset, quemadmodum & contra eorundem fautores, quique domi suæ eos alerent, ut tanto odio legis, & metu, bucellati administrationem fidam generent. Obseruamus certè apud Zonaram Ducem Bucellariorum. Gallogrecos quidem fortissimos, & ferocissimos, ac indomitos bellatores fuisse ex Luitio lib. 38. habemus; at nullibi eos prædones vocatos. Postquam hæc scripseram ad manus meas peruenit libellus Grecus Constantinæ Regis Porphyrogenetæ de Thematibus, siue de agminibus militaribus per Imperium Orientale distributis, cuius verba sunt per initia Thematis 6. *Ομοίως δὲ καὶ τὸ θέμα τῶν βουκελλαρίων, οὐκ ἀπὸ τόπου τίνος τὴν προσηγορίαν ἐκτίσαστο, οὔτε μὲν ἀπὸ ἔθνους οὔτω καλυμμένου, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐπακρολύθην τοῖς στρατιώταις, καὶ τὰς τροφὰς αὐτῶν ἐπιφέρεισθαι. Βουκελλάριος γὰρ κατὰ Ῥωμαίων διάλεκτον ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου καλεῖται, ὥστε εἴποιτε τοὺς στρατιώτας ἐλαφροὺς, καὶ ἀβρεχτεροὺς τὸν πόλεμον βούκελλος γὰρ τὸ κρηκελόνος φωνὴν καλεῖται κελλάριος δὲ ὁ φύλαξ τοῦ ἄρτου.* Quæ Bonauentura Vulcanius ita interpretatus est. Similiter & Thema Bucellariorum non à loco aliquo appellationem accepit, neque à gente aliqua, quæ ita vocaretur, sed quam militum affectu essent, & com meatu eis vherent. Bucellarius enim lingua Latina vocatur is, qui rei panariæ custodiam gerit, ut milites expediti, & ab omni onere liberi ad bellum essent. Bucellus enim vocatur cibarium circulare formā præferens, cellarius autem custos panis. Quibus per lectis in libello Græcolatino nuper edito, mirum quanta lætitiā affectus sum, quod in re obscura cōiectura ductus genuinum sensum diuinaus quodammodo fuerim. Non semper tamen milites bellantes tantum bucellato pane vfos colligimus clarè ex Vopisco in Aureliano, scribente in Epistola Valeriani Imper. Cicio Albino Urbis præfecto de Aureliano. Supradicto viro efficies quandiu Romæ fuerit panes militares mundos sexdecim, panes militares Castrenses quadraginta decernendos. In expeditionibus sanè militaribus, in quibus de annonæ defectu timebatur Bucellato vsi sunt milites Romani. Vopiscus de Tacito Imperat. Panem nisi sicum vnquam comedit.

Aelius Spartianus in Antonio Caracalla.

Inde quum in Asiam traiceret, naufragij periculum adiit antenna fracta, ita vt in scapham cum protectoribus descenderet. Et paulo post. Occisus est autem in medio itinere inter Carras, & Edeßam, quum leuandæ vesicæ gratia ex equo descendisset, atque inter protectores suos coniuratos cedis ageret.

H V I V S. vocis protectores nullibi, quod meminerim, primæ classis Latini scriptores verba fecere. Apud I. C. non semel eam legimus; Adest enim tit. Cod. de domesticis, & protectoribus lib. 12. Erant verò, qui armati, non solum se defendendi, sed & Imperatoris corpus tutandi sollicitudinem gerebant, vnde illis protectorum nomen. Horum binum genus erat, nam eorum alij in acie militabant, alij inter familiares imperat. ideo domestici protectores dicebantur, vt aiunt, l. 8. & 9. tit. cod. in C. Theod. Ex ijs verò fuere aliqui equites, aliqui pedites, l. ult. C. cod. l. restituendæ, C. de adu. diuers. iud. De eisdem Cassiodorus lib. 1. Var. inquit. Domestici partis equitum & peditum, qui nostræ Aulæ videtur iugiter excubare. De his domesticis verba facere utrobique Spartianum non dubitamus; Imperatorem enim Antoninum Caracallam in naufragio non est verisimile cum bellicis protectoribus sed cū domesticis, qui pauciores erant, se recepisse, & ab eisdem in illius eadem coniuratum. In aula Romana frequens protectorum mentio, sed in alio sensu; nam in sacro Senatu Cōsistorio dicto, vna quæque Prouincia, singulaq; Regularium sodalitia habent suos patronos Cardinales, scilicet tutelares, quos protectores vocant, quorum munus est electiones, & alias Prouinciæ suæ regulæ sibi addictæ causas in sacro Senatu proponere, & oppositionibus respondere. Protectorum meminit non semel Am. Marcell. lib. 14. Primum solisq; accolis iussit esse contentum Palatinis, & protectorum cum scutarijs, & gētilibus. Et iterum. Præfeti custodiam protectoribus mandauerat fidis. Et paulò infra. Exindeque per protectores re tractus arctissimè tenebatur. Et rursus. Aduenit Arculanus protector domesticus. Et lib. 15. Missi igitur ad eos corripiendos Teutomares protector domesticus cum collega. Et mox addit. Protectores verò pronuntiati vertere solum exilio. Quinimo & ipsemet Am. Marcell. fuit protector domesticus Constantij Imperatoris, vt refert lib. 15. in hæc verba. Protectores domesticos decē vt postulabat, ad iuuandas publicas necessitates secum duxit, inter quos ego quoque eram cum Veriano collega, residui omnes propinqui, & familiares. Idem lib. 18. Tribuni cum protectoribus missi. Ex quibus constat, protectores milites fuisse selectos, & primarios inter ceteros. Ex ijs verò domestici dicebantur, quibus principis aut Imperatoris, aut Ducis custodia demandata erat, qualis Verianus domesticus protector, quem sui collegam vocat Ammianus paulò post. Quod clarè patet ex eodem Ammiano libro vigesimo secundo sic scribente. Inducta

in iudicium sc̄mina quādam, quum Palatinum aduersarium suum, ē numero protectorum cinctum prater spem conspexisset, hoc factum insolens querebatur tumultuando. Et Imperator: Prosequere (ait) mulier, si quid laesam te existimas; hic enim sic cinctus est, vt expeditius per lutum incedat, parum nocere tuis partibus potest. Quod verò protectores, & domestici appellarentur, patet ex ipso met Amm. qui lib. 25. de Iouiano ad Imperiū assumpto illum inter domesticorum ordinis primum enumerat. Et paulò post, Iouianum (inquit) ad vmbra Imperij adhuc protectorem adscitum. Et lib. 26. Mafucionem domesticum protectorem. Officium protectoris dignitatem fuisse constat ex Amm. lib. 30. scribente de Gratiano maiore: Post dignitatem protectoris, atque Tribuni, Comes praefuit rei Castrensi per Africam. Protectores Ro. Regum tēpore Celeres appellatos colligimus ex L. i. scribente de Romulo. Trecentosque armatos ad custodiam corporis, quos Celeres appellauit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit. Et rursus de Bruto Tarquinium ē Regno expellente ait, Praeco ad Tribunum Celerum, in quo tum magistratū fortē Brutus erat populum aduocauit.

Aelius Spartianus in Antonino Caracalla.

In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, quum Antoninus Commodus ita ea celebrauerit, vt & Anubin portaret, & Pausa sederet.

QUID hoc loco Pausa significet à nemine explicatum scio. Egnatius nescio quid de quiete feita, eo quod *παύσις* quies, & *παύσις* quiesco Græcis sit. Sed quæso, quis tum sensus verborum Spartiani? Itaque crediderim ego, Pausa significare sellam, in qua Sacerdotes, & sacra facientes, sedentes quiescerent; ita vt sensus sit, Antoninum Commodum Anubin portantem Pausa sedisse, idest sella Sacerdotali. Ita apud Arnobium obseruamus Pausam Deum, scilicet qui pausam afferret, & quietem, scilicet bellis aduersarium, ac Bellonę potestati repugnantem; sic enim scribit Arnobius. Qui Faunos, qui fatuos Ciuitatum Genios, qui Pausos reuerentur atque Bellonas. Pausa si quidem etiam Musicis quietis intermedium in canendo dicitur. Lucel. lib. 1. Saty.

Hec ubi dicta dedit, pausam facit ore loquendi.

Et Plautus in Kude.

Aliquando osculando melius est uxorem pausam fieri,

Idest reddi quietam, & pacificam. Et Lucret. lib. 2.

Nec dare pausam

Concilijs, & dissidijs exercitiis crebris.

Accius. Sed iam eam huc vadere cerno, & nobis datur pausa loquendi.